

„ Aquilejensis in duas dissecta est, amboque idem
 „ nomen Aquilejensis retinuerunt, quamquam apud
 „ nonnullos ita distinguuntur, Aquileja nova,
 „ va, quo nomine veniebat Gradus, & vetus A-
 „ quileja, nempe Aquileja proprie dicta. Hæc
 „ Sedis discussio ann. 606. apud eundem scripto-
 „ rem assignatur. Ex tunc utraque Sedes suos
 „ habuit Antislites, utrosque Aquilejenses apud
 „ veteres vocatos; sed Aquilejensis veteris, qui-
 „ bus adhærebant Provinciales Episcopi fere om-
 „ nnes, in schismate perseverarunt. Gradenfes
 „ vero varias vices passi sunt; modo assumptis
 „ Episcopis Catholicis, modo Schismaticis. In-
 „ valuit tamen sanior pars, & Gradenfis Diœcesis
 „ in communione Romanæ Ecclesiæ persistit.
 „ Sergio tandem Pontifice adnente, ac Petro
 „ Cathedram Aquilejensem veterem tenente anno
 „ 698., ut in Sigeberto legimus, habita est Syno-
 „odus Aquilejæ veteris, in qua Synodus Con-
 „stantinopolitana admisa est, & schisma subla-
 „tum, ita tamen ut discussio Sedis in geminas
 „ permaneret. Quin & utriusque Episcopo, nem-
 „pe Aquilejensi, & Gradenfi Pallium daretur,
 „ & Provincia unica scinderetur in duas, qua de
 „ re Gregorii II. Papæ ad Serenum Gradensem
 „ Episcopum literæ extant.

D. Quam rationem potissimum prætexebant hi,
 qui, post quintam Synodum Generalem, tria con-
 fixa Capitula defendebant?

M. His, qui post quintam Synodum Generalem
 pertinaciter illa Capitula defendebant, tria
 præcipue suppetebant argumenta. Primum pete-
 batur ex anteriori Ecclesiæ more, neminem in
 Orthodoxæ pacis communione defunctum dam-
 nandi post mortem. Alterum, erat auctoritas
 Theodori Mopsuestiæ Episcopi, celeberrimi olim
 Diœceseos Orientalis Magistri, qui a pluribus
 credi haud poterat prava sensisse, etsi multas ef-
 fusiisset locutiones, quæ Nestorii Hæresim sapere
 videbantur. Tertium, ac principale fundamen-
 tum erat auctoritas Concilii Chalcedonensis, in
 quo Theodori Cyri Episcopi fides laudata fue-
 rat, & Ibe Edeseni Episcopi Epistola ad Maximam
 Persam perfecta, & approbata erat. Hanc igitur
 Concilii Chalcedonensis auctoritatem per profer-
 ripionem trium Capitulorum labefactari, ac peni-
 tus everti, autumabant. His fundamentis nite-
 bantur quotquot post quintam Synodum genera-
 lem trium Capitulorum defensionem suscipiebant.
 Sed frivola, nulliusque momenti erant adducta
 illa fundamenta. Ad primum siquidem respon-
 debant Catholici, Ecclesiam jus habere, eos etiam
 post mortem anathemate confodiendi, qui,
 dum viverent, meruerant ab ejus sinu segregari
 propter Hæresim, Schisma, aut atrocissima crimi-
 na, in quibus certum erat, illos ad mortem
 usque perseverasse. Porro, Theodorus Mopsueste-
 nus Episcopus, quem post mortem anathematiza-
 vit quinta Synodus generalis, errores in Paulo
 Samosateno jam proscriptos docuit, ac palam,
 dum viveret, editis libris, tuitus est, Capitalia
 fidei dogmata omnium Sanctorum Patrum, fide-
 lium consensione ante ipsum probata impugnavit,
 videlicet Christi Divinitatem, & Deiparæ nomen

ac dignitatem in Beata Virgine Maria. Merito
 igitur Theodorus Mopsuestenus fuit etiam post mor-
 tem in quinta Synodo generali anathemate per-
 cussus. Alterum fundamentum petitum ex au-
 thoritate Theodori Mopsuesteni, quem etiam mul-
 ti Sancti Patres ante quintam Synodum genera-
 lem laudibus celebrarunt, elumbe omnino erat,
 quia Sancti Patres laudarunt Theodorum Mop-
 suestenum, antequam ejus errores fuissent propa-
 lati. At semel detectis & in lucem productis
 ejus erroribus circa Incarnationem Filii Dei, cir-
 ca peccatum originale, & alia præcipua Catho-
 licæ Fidei capita, tunc Theodorus Mopsuestenus
 apud omnes Catholicos male audire cœpit, non
 secus ac Origenes, qui, ob egregiam Ecclesiæ in
 confutandis Hæresibus navatam operam, a mul-
 tis Patribus & Scriptoribus Ecclesiasticis, enco-
 miis fuit celebratus; sed patefactis ejus erroribus,
 damnatus & anathematizatus est etiam post mor-
 tem in quinta Synodo generali. Denique, au-
 thoritati Synodi Chalcedonensis, cui præcipue ad-
 hærebant trium Capitulorum defensores, nullum
 omnino intulit præjudicium damnatio trium Ca-
 pitulorum in quinta Synodo generali facta; tum
 quia Theodoretus Cyri Episcopus non fuit in Con-
 cilio Chalcedonensi susceptus, nisi postquam Ne-
 storio palam anathema divisset, quo a se dicto a-
 nathemate, sua subinde scripta contra Sanctum
 Cyrillum Alexandrinum damnavit Theodoretus;
 tum quia etiam judicia de scriptis Theodoretii &
 de Epistola Ibe in Concilio Chalcedonensi lata,
 non fuerunt approbata a Sancto Leone Papa.
 Conscripta siquidem definitione fidei in Synodo
 Chalcedonensi, Actione sexta, & conditis Cano-
 nibus eidem Actioni subnexis, de singularibus
 postea & privatis Episcoporum causis actum est,
 quarum judicium non fuit confirmatum a Sancto
 Leone, qui auctoritatem Synodi Chalcedonensis
 in sola fidei definitione constrinxit. Mirum igitur
 nemini videri debet, quod hæc de privatis
 Episcoporum Causis in Concilio Chalcedonensi
 lata judicia, & a Sancto Leone Papa non confir-
 mata, denuo in quinta Synodo generali exami-
 nata, & ad Crisim revocata fuerint, atque post
 maturam & accuratam discussionem damnata sint
 hæc tria Capitula, seu persona & scripta Theo-
 dori Mopsuesteni, libri Theodoretii Cyri Episcopi
 contra Sanctum Cyrillum Alexandrinum, & Epi-
 stola Ibe Episcopi Edeseni ad Maximam Persam.
 Qua de re, si plura scire desideres, leges Disser-
 tationem quartam nostri Natalis Alexandri in Hi-
 storiam Ecclesiasticam sexti sæculi.

D. Quam censuram inureres his, qui modo tria
 Capitula damnare nollent, & pro illorum defen-
 sione Apologias adornarent?

M. Eos appellarem temerarios, superbos & ino-
 bedientes. Temerarios quidem, quia solemnem Ec-
 clesiæ judicio in Concilio Œcumenico lato, a Ro-
 manis Pontificibus confirmato, & omnium deinde
 Ecclesiarum consensu recepto refragarentur. Su-
 perbos dicerem, quia in hujusmodi Factorum Do-
 ctrinalium cognitione sese perspicaciores universa
 Ecclesia judicaret, suæque privata judicia, ut
 plurimum errori obnoxia, totius Ecclesiæ judicio
 ma-

matura cum deliberatione factæ anteponebant.
 Demum, eos ceu inobedientes damnarem, quippe
 qui in Doctrinalibus Factis, cujusmodi sunt tria
 Capitula, judicio Ecclesiæ Catholicæ, quæ om-
 nium Mater ac Magistra est, quæque in cen-
 sura, seu in damnatione librorum Spiritus Sancti
 lumine ad eorum pravum sensum, erroresque cog-
 noscendos illustratur & regitur, pervacaciter mo-
 rum genere detrectarent. Quo circa, jure opti-
 mo castigari deberet audacia quorundam, qui
 pro Origene, pro Theodoro, pro Abbate Joachi-
 mo, pro Cassiano & Faustino, & pro Jansenio Ap-
 ologias temere in vulgus sparserunt, & libros ab
 illis editos ab erroribus, quos Ecclesia in his dam-
 navit, vindicare voluerunt. Sane, ut obiter
 dicam, si a judicio Factorum Doctrinalium ab
 universali Ecclesia lato semel impune resillire liceat,
 poterit quilibet pro omnibus Hæreticis ab
 Ecclesia confixis Apologias pro suo nutu & arbi-
 trio concinnare. Periclitabitur infallibilis tradi-
 tionis auctoritas, quæ pendet e sensu librorum
 Sanctorum Patrum ab Ecclesia Catholica præfixo.
 Non poterit Ecclesia comprimere tumultus
 & contentiones, quæ sæpius suboriuntur occasio-
 ne sensus librorum, nec sanam doctrinam a falsa
 & noxia, quæ in libris Authorum continetur,
 certo valebit discernere. Quæ omnia quam op-
 pido falsa sint, & Ecclesiæ auctoritati contraria,
 nemo est qui statim non videat. Ecclesiæ itaque
 judicio in his Doctrinalibus Factis, tamquam sac-
 rarum anchoræ indivulse adherere debemus, nec un-
 quam procaces illos imitari filios, qui reveren-
 tiam atque observantiam matri debitam exhibere
 renuentes, incertas cogitationes suas, ut inquit
 Scriptura sacra, judicio universalis Ecclesiæ elato
 supercilio anteponunt (a).

„ (a) Modo quidem temeritatis censuram
 „ non effugeret, qui damnationi trium Capitu-
 „ lorum refragaretur; non ita vero tunc cum
 „ Schisma ea de causa serveret. Qui enim vero
 „ tunc tria Capitula admittere recusabant, non
 „ eodem modo omnes se continebant; alii etenim
 „ ita ab eo assensu se abstinabant, metu ne quid
 „ detraherent auctoritati Concilii Chalcedonen-
 „ sis; simul vero communicare non recusabant
 „ cum illis, qui damnationi eorumdem Capitu-
 „ lorum adhaerant, probe scientes, admitti ab
 „ illis & damnationem Capitulorum & Chalce-
 „ donensis auctoritatem. Alii vero ita refraga-
 „ bantur quintæ Synodo, ut alienos a fide judi-
 „ carent eos, qui eandem quintam Synodum
 „ propugnabant, ideoque velut alienos illos a fi-
 „ de Catholica a communione sua rejiciebant.
 „ Postremi hujus generis reputabantur Aquilejen-
 „ ses, quos proinde Romani Pontifices a commu-
 „ nione segregaverant. Cum vicissim alios mo-
 „ deratiora sectantes ferebant, nec communione
 „ Romanæ Ecclesiæ indignos reputabant. Itæ S.
 „ Gregorius Amalasantam Reginam, quæ sane
 „ inter rejicientes Capitula censebatur, appella-
 „ bat filiam, & sæpe literis suis amore plenis
 „ fovebat. Discrimen hoc, & ea, quæ hac us-
 „ que adnotavi, debeo Cl. Patri de Rubens, qui
 „ hæc monet cap. 22. Aliud est tria non con-

„ demnare Capitula, aut Synodum quintam cum
 „ condemnatione Capitulorum non suscipere.
 „ Aliud certe consensu damnationi denegato se-
 „ cedere ab illis qui Capitula proscribebant, ac
 „ Synodum venerabantur, summæ temeritatis erat
 „ tria Capitula post Œcumenicæ judicium Syno-
 „ di, post solemnem Romani Pontificis confirma-
 „ tionem condemnare nolle; Schismaticum vero
 „ iis communionem negare, qui damnaverant ea,
 „ summosque Pontifices ac Synodum arguere, ac
 „ si ea damnantes errassent. Hoc ab Ecclesia, a
 „ Pontificibus, ac Catholicis improbatum execra-
 „ tumque; illud aliquando permissum, donec pru-
 „ dentis œconomia tempore elapso, nemo Ca-
 „ tholica reputari communionem dignus debuit,
 „ qui Synodum suscipere ac tria proscribere Ca-
 „ pitula recusaret. Quod tandem judicium suum
 „ vir doctus concludit verbis S. Gregorii regest.
 „ lib. IV. epist. XXXIX. nam in ea Synodo V.
 „ & de personis tantummodo, non autem de fide
 „ aliquid gestum est.

COLLOQUIUM III.

De Conciliis in sexto Ecclesiæ sæculo celebratis, &
 de rebus quæ in his gestæ sunt.

D. Priusquam de Conciliis Nationalibus &
 Provincialibus, in quibus sexto sæculo
 subortis contentiones finis impositus est, vel
 sancita & instaurata fuit Ecclesiæ Disciplina, ser-
 monem instituamus; quasdam quæstiones circa
 quintam Synodum generalem, quæ sicut in superi-
 ori Colloquio dicebas, tria Capitula damnavit,
 breviter cum tua bona venia proponam, quarum
 dilucidatio haud parum juvabit ad pleniorum hu-
 jusce quintæ Synodi generalis notitiam assequen-
 dam. In primis igitur a te quæro, quis convo-
 caverit quintam Synodum generalem, quisve ei
 præfuerit?

M. Quintam Synodum generalem, quæ est se-
 cunda Constantinopolitana Œcumenica, convoca-
 vit Justinianus Imperator, consentiente tamen Vi-
 gilio Romano Pontifice. Adfuere res Patriar-
 chæ, & clxx. Episcopi, eique præfuit Eutychius
 Patriarcha Constantinopolitanus, præesse tamen
 jure suo poterat Vigilus Summus Pontifex, si ju-
 re suo uti voluisset, quo tamen usus non est,
 quia Synodo interesse noluit. Octo Collationi-
 bus absoluta est hæc Synodus: In prima Colla-
 tione lecta est Justiniani ad Synodum sacra jus-
 sio, qua Imperator significabat, se istam Syno-
 dum generalem convocasse, ut, eliminatis Hære-
 sibus, optatam Ecclesiæ quietem post tot ab A-
 cephalis excitatos tumultus, dare posset. Sed ab
 hac Synodo cum Papa Vigilus abesset, sine cujus
 præsentia vel per se, vel per suos Legatos Con-
 ciliium Œcumenicum esse non posse probe intel-
 ligerent Episcopi Orientales, nobilissima ad eum-
 dem destinata trium Patriarcharum, aliorumque
 Antistitum Legatione, Vigilium etiam atque etiam
 rogant, ut Synodum præsentia sua digna-
 retur, & secum de tribus Capitalibus disputare
 haud gravaretur. His Legatis reposuit Vigilus,
 se

se propter corporis infirmitatem non posse ad hanc petitionem respondere. In postero autem die pollicitus est manifestare, quid ei de tali conventu placuerit. In secunda Collatione, Legati Præsules suæ Legationis rationem Synodo reddentes, retulerunt, *Vigilius* dixisse se non posse venire ad Concilium, quod Occidentales Episcopi sibi adhaerentes in minori numero essent quam Orientales, eumque subinde inducias postulasse, ut sententiam suam circa trium Capitulorum quæstionem ad Imperatorem mittere posset. In tertia Collatione Episcopi Fidem Catholicam ab Apostolis & Sanctis quatuor Œcumenicis Synodis expositam professi sunt, & Hæreticos ab iisdem Synodis damnatos confixerunt. In quarta Collatione Patres causam trium Capitulorum discutere cœperunt, lectæ sunt plures sententiæ excerptæ ex libris Theodori Mopsuesteni, ac recensitum impium ejus Symbolum, quo auditus, exclamavit universa Synodus: *Hoc Symbolum Satanas composuit*. In quinta Collatione recitata sunt ea quæ a SS. Patribus contra Theodorum Mopsuestenum scripta fuerant, & insuper disceptatum est, num liceret defunctos anathemate confodere? probatumque multis exemplis id licitum esse, & quandoque necessarium. Lecti sunt in eadem Collatione libri, quos *Theodoretus* Cyri Episcopus scripsit contra *xix*. S. Cyrilli Alexandrini Anathematismos, quibus damnatis, laudatum est sanctum Concilium Chalcedonense, quod non prius Theodoretum ad communionem suscepisset, quam is Nestorio anathema palam dixisset. In sexta Collatione lecta est Epistola *Ibæ* Edesseni Episcopi ad *Marim* Persam, & e vestigio in hanc vocem eruperunt Episcopi: *Epistola heretica est*. In septima Collatione, *Constantinus* Sacri Palatii Quæstor cum instrumentis probantibus *Vigilius* Papam tria Capitula semper damnasse ad Synodum ab Imperatore missus est. Unde in hac Collatione recitata est Anathema, quod tulit *Vigilius* contra Romanos Diaconos *Rusticum*, & *Sebastianum*, qui illius *Judicatum* impugnaverant, & trium Capitulorum erant acerrimi defensores. Lectæ sunt etiam Epistolæ ejusdem *Vigilii* Papæ ad *Valentinianum* Episcopum Tomitanum, & ad *Aurelianium* Episcopum Arelatensem, ex quibus certo liquet, *Vigilius* sæpius tria Capitula damnasse. Denique, in octava Collatione definitivam adversus tria Capitula sententiam protulit Synodus, eique quatuordecim subjecit anathematismos, quorum duodecim non solum impia Theodori Mopsuesteni scripta, sed etiam ejus nomen ac personam, defensoresque configit. Decimus vero tertius & decimus quartus Theodoretum quidem libros adversus S. Cyrillum Alexandrinum scriptos, & *Ibæ* Epistolam, eorumque defensores proscribunt, *Theodoretum* tamen, & *Ibam* Orthodoxos Antistites in pace Ecclesiæ defunctos, nulla censura perstringunt.

D. Una e præcipuis Synodi Œcumenicæ conditionibus, sicut me olim docuisti, est ut Summus Pontifex ei vel per se, vel per suos Legatos præsit, cum igitur huic quintæ Synodo *Vigilius* Romanus Pontifex nec per se, nec per suos Le-

gatos præfuerit, non video qua ratione hæc Synodus dici possit Œcumenica?

M. Hæc quinta Synodus inter Œcumenicas merito numeratur, quia licet *Vigilius* Romanus Pontifex ei non præfuerit, ab illo tamen, & ejus successoribus approbata, atque universalis Ecclesiæ consensu fuit postmodum recepta. At enim *Vigilius* in Epistola ad Eutyrium Patriarcham Constantinopolitanum quintam Synodum auctoritate sua comprobavit, & *Constitutum*, & alia, quæ pro trium Capitulorum defensione antehac scripserat, vel gesserat, omnino rescidit. Dein, *Pelagius* primus *Vigilii* successor quintam Synodum, antequam eligeretur Pontifex, approbavit, teste *Victore* Turonensi in Chronico. Insuper, *Pelagius* secundus Pontifex Maximus Synodum quintam itidem confirmavit, ut constat ex ejus Epistola ad *Eliam Aquilejensem*, & *Istrie Episcopos*, qui tum temporis ab Ecclesia Romana, ob trium Capitulorum defensionem, erant divulsi. Postremo, S. *Gregorius Magnus* eandem quintam Synodum approbavit, ut aperte colligitur ex ipsius Epistola ad *Joannem* Episcopum Constantinopolitanum, cui adhaerentes aliæ Synodi Œcumenicæ, quæ post ipsius Pontificatum in Ecclesia fuerunt celebratæ, hanc quintam Synodum pro Œcumenicâ, seu generali agnoverunt, & approbarunt. Jure itaque optimo quinta Synodus generalis a *Vigilio* Papa, & ejus successoribus, atque totius Ecclesiæ consensu recepta & confirmata accenseri debet Synodis Œcumenicis, quamvis *Vigilius* Romanus Pontifex ei nec per se, nec per suos Legatos præfuisse voluerit.

D. In hac quinta Synodo generali fueruntne dumtaxat damnata tria famosa Capitula?

M. Præter tria Capitula in quinta Synodo generali damnata, proscriptus est etiam error *Origenis*, ut videte est in Canone XI. illius Synodi, ubi inter alios Hæreticos, anathemate nominatim percellitur *Origenes*. Idque etiam aperte colligitur ex libro *Diurno* Romanorum Pontificum in secunda fidei professione, quæ hæc habet: *in hoc*, idest, in quinto Concilio generali apud Constantinopolim celebrato, *Origenes cum impiis discipulis & sequacibus Didymo & Evagrio, & qui Creatorem omnium Deum, & omnem rationalem ejus creaturam Gentilibus fabulis persecuti sunt, æterna sunt condemnationi submissi*. Justa igitur de causa Illustrissimus *Huetius* Abrincensis Præsul lib. 2. *Origenianorum* cap. 4. sect. 3. n. 14. & Cardinalis *Norivius* in sua de quinta Synodo Dissertatione solide refellunt *Halloixium*, qui in Apologia *Origenis*, quæstione X. negat, *Origenem* ab Ecclesia fuisse damnatum, quod certe nemo ante illum dicere ausus fuerat, ac nemini ipse potuit persuadere. Legi etiam potest Dissertatio *xvi*. *Natalis Alexandri* in Historiam tertii sæculi, in qua Clarissimus ille auctor egregie confutat *Halloixium*, qui perperam negat, *Origenem* in quinta Synodo generali fuisse damnatum.

Cæterum, an *Origenes* damnatus fuerit in principio quintæ Synodi, vel sub illius finem, idest, post cognitionem trium Capitulorum? controversia est inter viros eruditos. *Petrus de Marca* Dis-

Dissertatione de quinta Synodo, n. 23. censet cognitionem de *Origene* successisse trium Capitulorum damnationi. At Cardinalis *Norivius* in Dissertatione mox laudata, & doctissimus *Pagius* ad annum DLIII. n. 26. asserunt, damnationem *Origenis* in quinta Synodo generali anteveritisse damnationem trium Capitulorum. Sed hanc Controversiam, utpote non magni momenti, in medio relinquimus, cum utriusque opinioni sua constet probabilitas.

D. Age nunc, juxta seriem Chronologicam omnia recensere Concilia Nationalia, seu Provincialia, quæ in sexto sæculo fuerunt celebrata.

M. Sexto ineunte sæculo, seu Anno DIII. habitata est Romæ Synodus dicta *Palmaris* a loco ubi celebrata est. Tres jam Romæ annis præcedentibus coactæ fuerant Synodi ad extinguendum Schisma, quod in electione *Symmachi* legitimi Pontificis excitaverat *Laurentius* Archiepiscopus S. Prædix, quem *Festus* Senator Romanus profusus pecuniis Pseudo-Pontificem eligendum curaverat. In his Synodis Romanis approbata est jussu *Theodorici* Italiæ Regis electio *Symmachi*, & rejecta electio *Laurentii*, qui tamen, ne novas moveret turbas, Episcopus *Nucerinus* constitutus est. Hoc pacto ad tempus sopitum, sed non sublatum fuit Schisma. Nam paulo post, sicut scribit *Anastasius*, zelo ducti aliqui ex Clero, & alii ex Senatu, maxime *Festus* & *Probinus* incriminarunt *Symmachum*, & subornarunt testes falsos, quos miserunt *Ravennam* ad Regem *Theodoricum*, accusantes *B. Symmachum*, & occulte revocarunt *Laurentium*, post libellum Romæ factum, & fecerunt Schisma, & divisus est iterum Clerus, & alii communicabant *Symmacho*, alii *Laurentio*. Ut igitur huic recrudescenti Schismati tandem aliquando finis imponeretur, *Theodoricus* Rex, licet *Arianus*, jussit Romæ convocari Synodum, quæ est quarta Romana, dicta *Palmaris*, ad quam cum sponte & volens Pontifex *Symmachus* causam dicturus accederet, ab irruentibus turbis æmulatorum suorum male exceptus est, multique vulnerati Presbyteri, qui ipsum comitabantur. Rebus sic varia confusione perturbatis, scripsit Synodus ad Regem, eique significavit, *Symmachum*, qui tantum non fuerat oppressus, a statutis Canonibus non posse compelli. Respondit Rex: In Synodali esse arbitrio in tanto negotio sequenda prescribere, nec aliquid ad se præter reverentiam de rebus Ecclesiasticis negotiis pertinere, seque tantum velle, ut provisione Concilii pax in Civitate Romana Christianis omnibus redderetur. Quibus acceptis, *Laurentius* Antipapa damnatus est, & *Symmachus* Papa innocens declaratus, Clericique, qui ab ipso desciverant, officio suo fuerunt restituti, dummodo eidem satisfacerent. Denique illius Synodi *Palmaris* Episcopi mandaverunt *Ennodio* Ticinensi Episcopo, ut libellum Apologeticum pro hac quarta Romana Synodo, & *Symmacho* Papa concinnaret, quem libellum ab *Ennodio* elucubratum quinta Synodus Romana habitata anno DIV. auctoritate Synodali comprobavit (a).

D. Potuitne hæc quarta Synodus Romana, quæ *Palmaris* appellatur, *Symmachum* Romanum Pontificem sic summo jure judicare?

M. Non potuisset hæc Synodus Romana *Symmachum* Pontificem Romanum judicare, nisi illius judicio sese sponte *Symmachus* subjecisset. Id ultro agnoverunt hujus Synodi Episcopi, qui statim ac congregati fuerunt testati sunt, primo, quod hæc Synodus non fuisset legitima, nisi ejus convocationi assensum præbuisset ipse *Symmachus*, sic enim legitur in Actis hujus Synodi: *Memorati Pontifices, quibus allegandi imminabat occasio, suggererunt, ipsum, seu Symmachum, qui dicebatur imperitus, debuisse Synodum convocare ----- Sed Potentissimus Princeps, seu Theodoricus Rex Italiæ, ipsum quoque Papam in colligenda Synodo voluntatem suam litteris demonstrasse significavit. Unde a mansuetudine ejus pagina postulata sunt, quas ab eo directas constabat. Secundo, ejusdem Synodi Episcopi palam professi sunt, se esse inferiores seu minores judices, quorum judicio subjacere minime poterat Romanus Pontifex, utpote Vicarius Christi, & universalis Ecclesiæ Caput: Scientes quia ejus Sedi primum Petri Apostoli meritum, vel Principatus; deinde secuta jussionem Domini Conciliorum venerandorum auctoritas, ei singularem in Ecclesiis tradidit potestatem; nec antedictæ Sedis Antistites minorum subiacuisse*

(a) In Labbeana Collectione Synodi sub *Symmacho* assignantur sex; sed prioris nulla extant

judicio, in propositioe simili forma aliqua testave-
tur. Demum, constanter affirmarunt ejusdem Syn-
nodi Episcopi, se non judicasse, nisi consentiente
& volente Symmacho Summo Pontifice, immo,
& ipsis judicandi auctoritatem deferente: Et dum
in venerabili collectione sermo de incipiendo habe-
retur negotio, S. Papa Symmachus Basilicam Ju-
lii, in qua Pontificum erat Congregatio, ingres-
sus est; & de evocatione Synodali Clementissimo
Regi gratias retulit, & rem desiderii sui evenisse
testatus est. Causa ergo de Sacerdotum animis
(que de Concilio nondum firmato tristitiam mini-
strabat) abscissa est: Auctoritatem ordinis corrigendi
sicut placebant Ecclesiastica Statuta, in omnium,
qui ibidem convenerant, Episcoporum presentia,
se dare professus est. Ex quibus verbis, quæ le-
guntur in Actis hujus Synodi quartæ Romanæ
dictæ Palmaris, perspicuum est, prædictam Syn-
nodum non potuisse summo jure Symmachum Pa-
pam judicare, nisi illius judicio Romanus hic
Pontifex sese ultro subjecisset, & Episcopis, qui
erant minores seu inferiores iudices, auctorita-
tem dedisset iudicium in ipsum proferendi.

D. Fueruntne in sexto Ecclesiæ sæculo celebra-
ta multa Concilia Nationalia, & Provincialia ad
sancendam, vel instaurandam Ecclesiæ Disciplina-
m?

M. Multa tam in Oriente, quam in Occi-
dente celebrata sunt. Sed Conciliorum Nationa-
lium, seu Provincialium, quæ ad refarciendam
Ecclesiæ Disciplinam, sexto Ecclesiæ sæculo in
Oriente habita sunt, nulla modo superant monu-
menta, quippe quæ temporis rerum omnium
edacis injuria interciderunt. Verum, integra &
incorrupta nobis etiamnum suppetunt Acta Con-
ciliorum Nationalium & Provincialium, quæ in
Galliis, & in Hispaniis ad sanctam testam con-
servandam Ecclesiæ Disciplinam sexto sæculo co-
acta sunt, quorum meminit Historia Ecclesiastica,
& supersites adhuc Canones habemus. Hæc
itaque Concilia ordine Chronologico hic subne-
ctam.

Primum Concilium Provinciale in Galliis se-
xto sæculo celebratum, fuit *Agathense*, indictum
anno DVI. ad quod Episcopi triginta quinque
ex variis Galliarum Provinciis convenerunt, *A-
larico* Wisigothorum Rege, cui tum temporis
multæ Galliarum Provinciæ parebant permitten-
te: Huic Concilio præfuit *Sanctus Cæsarius* E-
piscopus Arelatensis, & in eo plures editi sunt
Canones. Doctissimus tamen *Sirmondus*, qui
istud Concilium cum vetustissimis MSS. Codici-
bus contulit, testatur, se in iis reperisse tantum
Canones octo & quadraginta, ac subinde dubium
non esse, quin reliqui viginti quinque, qui su-
pra hunc numerum ex Synodo *Epaonensi* deprom-
pti sint & Synodi cujuspiam alterius auctoritate
in *Agathensem* inserti. Multa in his Canonibus
in rem Ecclesiasticæ Disciplinæ sanxit hæc Syn-
nodus, quæ hic summam perstringam. In pri-
mis Bigamos a sacris Ministeriis perpetuum
arceat, contumaces Clericos ab Episcopis corrigi
jubet, eosque inobedientes ad peregrinam com-
munionem ablegat; Clericis prohibet, ne cum ex-

traneis mulieribus commorentur, ne comam nu-
triant, ne ad sæcularis Tribunal Judicis quem-
quam vocent, aut in criminali negotio sint Acto-
res; ne sine commendatitiis Epistolis hac illac
vagentur, ne convivii nuptiarum adsint, aut
cœtibus, ubi amatoria cantantur, aut obsceni mo-
tus corporum choreis & saltationibus efferantur.
Diaconos ante annum ætatis vigesimum quintum
ordinari, & Presbyterum, vel Episcopum ante
trigesimum ætatis annum consecrari vetat. San-
ctimoniales ante annum ætatis quadragesimum ve-
lari inhibet. Episcopis, ut seniores Clericos junio-
ribus præponant præcipit. Divini Officii diebus Do-
minicis decantandi ordinem præscribit, sicut & ritum
imponendæ penitentia, renovatque antiquos Ca-
nones circa Pœnitentium irregularitatem, quos ordi-
nari prohibet, & ordinatos a sacris Ministeriis
suspendit. Monasteria puellarum procul a Mona-
chorum Cœnobiis construi jubet, novumque Mona-
sterium, nisi Episcopo permittente aut probante,
fundari non debere decernit. Monachos absque Ab-
batis testimonio & consensu ordinari vetat, quibus
insuper prohibet, ne ad solitarias cellas a Congre-
gatione discedant, nisi forte probatis post emeritos
labores, aut propter infirmitatis necessitatem, aspe-
rior ab Abbate regula remittatur. Nobilibus, qui
Oratoria in agris habent, permittit ut in illis
Missas celebrari curent, exceptis Paschate, Na-
tali Domini, Epiphania, Ascensione Domini,
Pentecoste, Natali S. Joannis Baptistæ, & aliis
præcipuis festivitibus, in quibus par est, ut om-
nes Fideles in Civitates, aut in Parochias, ad
Missam, & ad Officia sacra conveniant. Sæcula-
ribus in Natali Domini, Paschate, & Penteco-
ste, Communionem imperat, & a Communione
removet eos, qui suas dimittunt uxores, an-
tequam Episcoporum iudicio fuerint convictæ at-
que damnatæ. Denique, Missas die Dominica a
sæcularibus integras audiri præcipit, ita ut ante
Benedictionem Sacerdotis egredi non præsumant,
quod si secesserint, ab Episcopo publice consun-
dantur.

Anno DXT. alterum in Galliis celebratum est
Concilium Provinciale, nimirum *Aurelianense pri-
mum*, cui interfuere Episcopi sanctitate celebres,
Aventinus Carnotensis Episcopus, cujus vita le-
gitur apud Bollandum in Actis Sanctorum ad diem
iv. mensis Febr. *Principius*, Episcopus Cenoma-
nensis, qui colitur XVI. Kalend. Octob. *Camil-
lianus* Episcopus Trecentis, qui colitur v. Kal.
Aug. *Livianus* Episcopus Sylvanestensis, qui coli-
tur VII. Idus Oct. *Quintianus* Episcopus Ru-
tenensis qui postea Arvernorum Episcopus fuit,
coliturque a Rutenis XVII. Kalend. Julii, & ab
Arvernensibus Novembris; *Eufrasius* Episcopus
Arvernensis, quem Gregorius Turonensis *Sanctum*
appellat; denique, *Sanctus Melanius* Episcopus
Rhedonensis in minori Britannia, cujus vitam ab
antiquissimo auctore scriptam recitat Bollandus ad
diem VI. mensis Januarii. Hi Episcopi sanctitate
inlyti Concilio Aurelianensi primo sub Clodovæo
Christianissimo Galliarum Rege interfuerunt.

D. Ediditne aliquos Canones Concilium Au-
reliaense primum?

M. Con-

M. Concilium Aurelianense primum condidit
Canones XXXI. quos ferme omnes in suo Decre-
to inseruit *Gratianus*. In his præcipue consulitur
rerum ad Ecclesiam confugientium securitati.
Statuitur, quomodo facultates Ecclesiæ expendi
debeant, scilicet in reparationibus Ecclesiarum, in
alimoniis Sacerdotum & Pauperum, vel in redem-
ptionibus captivorum. Decernitur, ut Abbates in
Episcoporum potestate consistant, & si quid extra
regulam fecerint, ab ipso corrigantur. Rogatio-
nes, idest, Litanias, & Triduanum jejunium ante
Ascensionem Domini celebrari præcipitur.
Præcedentium Conciliorum Canones circa statum
Monasticum, circa familiaritatem extraneorum
mulierum Clericis prohibitam confirmantur. De-
mum prohibetur populo, ne ante completa Mis-
sæ solemnia, & acceptam Episcopi Benedictionem,
si adesse contigerit, ex Ecclesia egre-
diatur.

D. Percurramus alia Concilia Provincialia,
quæ sexto sæculo ad restaurandam Ecclesiæ Disci-
plinam in Galliis, & in Hispaniis fuerunt cele-
brata.

M. Anno DXTI. *Tarracone*, quæ Catalonia
Metropolitana Civitas est, sub Hormisdæ Ponti-
ficatu, & anno sexto Theodorici Regis, tum tem-
poris Hispaniis dominantis, habita est Synodus
Provincialis *Tarraconensis*, cui interfuere decem
Episcopi, & in ea conditi sunt Canones XIII. in
quibus multa decernuntur circa Clericorum, &
Monachorum vitam, circa Episcoporum ordina-
tiones, & illorum officium Ecclesias, quæ ipsorum
curæ concredita sunt, visitandi. Canone autem
septimo statuitur, ut observatio diei Dominicæ
incipiat a Sabbato. Atque hinc fortassis emanavit
consuetudo in totam fere Hispaniam cessandi die
Sabbati ab omni opere sub vespertinam, inquit *Va-
seus* in Chronico: Qui mos a Judæis ad Chri-
stianos translatus est.

Anno DXXII. *Gerunde*, quæ Urbs est Catalo-
niæ Tarraconensi Metropoli subdita, congregata
est Synodus *Gerundensis*, ad quam convenerunt se-
ptem Episcopi, qui decem Canones ediderunt, in
quibus præter alia multa, quæ Disciplinam Ec-
clesiasticam spectant, decernitur primo, ut idem
Missæ & Psalmodyæ ordo in tota Provincia Tar-
raconensi servetur, quæ in Metropolitana Eccle-
sia observatur. Secundo, tempus conferendi Ba-
ptismi Cathecumenis præfigitur ad dies Paschatis
& Pentecostes; infirmis quocumque tempore, in-
fantibus, eadem etiam die, qua in lucem editi
sunt, si in mortis periculo versentur. Tertio, sta-
uitur, ut juxta morem e Galliis advectum, duæ
Litanie, sive Rogationes, aut publicæ supplica-
tiones quotannis celebrentur, Priores, hebdoma-
da post Pentecostem a quinta feria usque ad Sa-
batum; secundæ, Kal. Novembris recitentur, nisi
dies Dominica fuerit, tunc enim in sequentem
hebdomadam transferebantur, & eodem ritu per-
agebantur, quo priores. In utrisque indicta erat
triduanæ a carnibus & vino abstinentia. Denique,
districte præcipitur Clericis, ut juxta antiquos Ca-
nones, coelibatum servent, & ab omni extranea-
rum mulierum contubernio caveant.

Eodem anno DXXII. habita est in Regno Bur-
gundico Synodus *Epaonensis*, cui præfuit S. *Avi-
tus* Viennensis Episcopus, in eaque conditi sunt
XL. Canones. In his multa præscribuntur circa
disciplinam, quam Episcopi, Presbyteri, & Cleri-
ci observare debent. Secundo, permittitur Pres-
byteris, ut Hæreticos, quorum desperata valetudo
est, si subito ad Fidem Catholicam convertantur,
Chrismate consignent, quo in Ecclesiæ gratium
admittantur. Tertio, abrogatur Diaconissarum
consecratio. Quarto, prohibetur, ne Altaria, nisi
lapidea, Chrismatis unctioe consecrentur.
Quinto, impedimenta in gradu consanguinita-
tis dirimentia Matrimonium, restringuntur ad
consobrinos & consobrinas. Sexto, antiqui
Canones de tempore agendæ penitentia præfixo,
renovantur & confirmantur, penitentibus tamen
in mortis discrimine positus constituta penitentia
tempora relaxantur; sed si convalescant, statutum
per Canones penitentia tempus servandum decer-
nitur. Denique, ad stabiliendam disciplinam mo-
nasticam tam pro puellis, quam pro viris, aliquot
sanctiones præscribuntur. Legi possunt XL. illi
Canones Synodi *Epaonensis* in tomo IV. Conci-
liorum. Quantum autem attinet ad locum, in
quo Synodus *Epaonensis*, vel *Epaunensis* congre-
gata est, variæ sunt de eo conjecturæ scriptorum,
qui ingeniosis quidem, sed vanis conjecturis in-
dulgentes, locum in quo olim habita est hæc Syn-
nodus, detegere conati sunt, irrito tamen labore,
cum non amplius extet illa *Epaonensis* Civitas,
immo nullum ipsius modo superstit monumentum,
aut vestigium. Quocirca, ne in re tam incomper-
ta ariolari videamur, abunde sufficiat tibi scire,
hanc *Epaonensem* Synodum in Regno Burgundico
sub *Sigismundo* Rege fuisse celebratam.

Paulo post hanc *Epaonensem* Synodum, *Viven-
riolus* Episcopus Lugdunensis aliam coegit Syno-
dum, quæ dicitur *Lugdunensis prima*, in qua,
decem assidentibus Episcopis, sex conditi sunt Ca-
nones, quorum primus spectat causam *Stephani*
cujusdam incestuosi, quem cum *Placidia* cognata
sua, cui nefarie sese conjunxerat, Synodus ab Ec-
clesiæ liminibus expulit, quam tamen sententiam,
rogante *Sigismundo* Burgundiæ Rege sic tempera-
runt Episcopi, Canone sexto, ut ei in Ecclesia
orare permittentur usque ad orationem plebis, quæ
post Evangelium legitur. Alii Canones pertinent
ad disciplinam Ecclesiasticam.

Anno DXXIV. *Sanctus Cæsarius* Arelatensis E-
piscopus convocavit Concilium Arelatense IV. Eo
tempore, quo Arelatensis Civitas *Theodorico* Ita-
liæ Regi parebat. Sexdecim huic Concilio inter-
fuerunt Episcopi, qui quatuor Canones disciplinam
Ecclesiasticam spectantes considerunt.

Ad eundem annum DXXV. multi Historici Ec-
clesiastici referunt Epocham Conciliorum *Herden-
sis*, & *Valentini*, quæ in Hispania fuerunt cele-
brata. At Cardinalis *de Aguirre* tom. 2. Conci-
liorum Hispaniæ, & *Nicolaus Antonius* Anno
MDCLXXXIV. demortuus, tom. 1. Biblioth. Hisp.
Veteris, accurate juxta omnes antiquos Codices
MSS. utrumque Concilium ad annum usque DCLVI.
distulere, quemadmodum etiam *Hieronimus Pujan-
des*